



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 93. Gallorum res in Neapolis Regno inclinatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A.C. 1496.

pelleretur; non enim Gallos latebant frequentes illius perfidiæ, fractaque Novarrensis pacti fides. Nihilominus Aureliæ Ducis inconstantia, Regisque exigua animi firmitas brevi Ludovicum metu liberabat: Aurelianensis enim quamvis maxime e re sua fuisset, ut Mediolani Ducatus occuparetur, exercitus tamen imperium omnino recusabat; nam inter plures alias rationes, ob quas e regno excedere renuebat, potissima erat, quod cum unicus Caroli VIII. Filius non ita pridem fato concessisset, ac vix ulla alterius generandæ prolis spes Regi superesset, ipse Aureliæ Dux proximus regni hæres salutaretur, proin adeo remotæ expeditioni sese implicare, inconsultum fore sibi videretur; hac præcipue ratione Dux suam Alpes transeundi repulsam excusabat; igitur supremum exercitus imperium Trivulcio deferebatur.

§. XCIII.

*Gallorum res in Neapolis Regno
inclinatæ.*

Omnes istæ consultationes haud quamquam inclinatas Gallorum res in Italia restaurabant. Jam primo Vere Ferdinandus, & Mompenserus suas quisque copias in aciem educebant, ille quidem Circajum Montem obsedit, hic vero Gallo

Gallo ad varia certamina abstracto obses-
 sis opem ferre adlaboravit, armisque in-
 festis Frangetum cinxit, inde enim Cir-
 cajum expugnantibus commeatus adve-
 hebatur. Vix eo delatus, impetum in
 urbem fieri jubet, ast ejus copiis primo
 repulsis, Mompenserius soluta Circaji
 Montis obsidione Frangetensi urbi auxi-
 lium laturus accurrit, quam tamen con-
 tinenti incendio deletam repererat; ca-
 ptam enim Ferdinandus comburi jusse-
 rat: unde Mompenserius Circajum re-
 versus, obsidionem restaurat, inani ta-
 men successu; quocirca obsidione soluta
 Ferdinandum ad pugnam provocare sta-
 tuit. Ille autem proelii discrimen expe-
 riri recusans, Mompensarium nonnisi
 crebris velitationibus laceffere decrevit,
 haud dubius, eum brevi annonæ penu-
 ria pressum stationem mutare compul-
 sum iri. Nec sua eum opinio fefellit; Mom-
 penserius enim paulopost Arianum ver-
 sus recedere cogebatur, ubi totus, quem
 ex Neapolitanis contraxerat, equitatus
 tanto numero ad hostes transfugiebat,
 ut ne unus quidem amplius Gallorum
 signa sequeretur. Hac militum desertio-
 ne ad tantas redigebatur angustias, ut
 copias suas in aciem educere minime va-
 leret, sed quærere asylum compellere-
 tur, cujus præsidio tutus ab hoste inter-
 cipi

Sæcul. XV. cipi non posset, donec suppetias ex Gal-
 A.C. 1496. liis recepturus esset.

§. XCIV.

*Mompenserus Arpinum profugus,
 ibidem inclusus.*

Ergo Galli Arpinum contendunt, quæ
 est longe munitissima Basilicatæ urbs,
 in æquo campo sita, quam colles paulu-
 lum e planitie surgentes, ac viarum an-
 gustiæ cingunt, arxque Gesualda nomi-
 ne velut porrecto aggere, primævo na-
 turæ genio firmat; Ferdinandus tam-
 presso vestigio fugientium Gallorum ter-
 gis imminet, ut his Arpinum ingre-
 dientibus, ipse jamjam arcem obsideret,
 tantaque dexteritate præsidiorum ani-
 mos inclinaret, ut eadem adhuc die ar-
 cem suo subjiceret imperio; qua parta
 Mompenserii consilia in irritum cecidere,
 cum ipse annona, atque equorum pabu-
 lo destitutus esset. Accessit quoque ad
 malorum cumulum seditio pedestris exer-
 citus, qui præter sexcentos Germanos
 nonnisi Helvetiis constans, integer reli-
 ctis Gallorum signis ad Ferdinandi vexil-
 la transibat; quocirca Mompensero nil
 reliquum erat, quam ut sese Albinus
 coniungeret, qui tum cum periculoso mor-
 bo conflictabatur; inde Foederatorum res
 augebantur; quippe eo facilius Confal-
 vus